

Wenn nun beim Annalisten das Jahr 849 für Ebroin weder den Anfang seines Besitzes der Abtei St. Germain, noch dessen Todesjahr bedeuten kann, warum setzt dann der Annalist des XI./XII. Jahrhunderts für den Abt Ebroin unter mindestens rund 10 möglichen Jahren, gerade das Jahr 849 an?

Diese Frage bildet kein unlösbares Rätsel: Das Jahr 849 war für den Annalisten das letzte, in welchem er auf grund der ihm vorliegenden Belege Ebroin noch als Abteihaber von St. Germain agnoszieren konnte.

Da nun die Brunardusschenkung das Datum vom 1. April 849 trägt, so bleiben bei striktester und alltäglichster Erklärung des handschriftlichen Textes für Ebroin als Abt in St. Germain immerhin noch die 3 ersten Monate des Jahres 849. Ein Widerspruch gegen irgendwelche sichere Angaben ist also in keiner Weise vorhanden. — Will man aber ein so genaues Klappen der Quelldaten für befremdend erachten, so bleibt, wie gesagt, die Möglichkeit offen, das Brunardusprotokoll erst vom Tode des Kaisers Ludwig des Fr. an zu rechnen und zu datieren vom 1. April 850.

* * *

Das Ergebnis der bisherigen Untersuchungen lautet:

Gauzlin I., Sohn des Gauzbert, 843 Abt von Glanfeuil, 849/50 Abt von St. Germain des Près, gestorben nach 855 (Aug.) ist nicht identisch mit

Gauzlin II., Sohn des Rorigo I., Oblaten zu Glanfeuil (839), Kleriker zu Reims (bis 858), Mitglied der kgl. Kanzlei (859) etc, mehrfachem Abteibesitzer, Kriegshelden und Bischof † 886.

De Ratiocinio et Syllogismo.

Dissertatio.

Auctore Philippo Claramunt, O. S. B., mon. Montserratensi.

(Continuatio ad fasc. I. 1906, pg. 3—14.)

e) Syllogismi illativi regulae ejus profecto naturae sunt ut modificationem aliquam aut variationem, sicut ea quae humanae tantum aut principaliter sunt adscribenda industriae, nequaquam pati possint; nam omnia quae his regulis praescribuntur, necessitatem absolutam sibi vindicant, sicut principium contradictionis, cujus firmitate fulciuntur: non enim in veritatibus facti et physicae tantum necessitatis, ex qualium notitia oriuntur artes liberales et mechanicae, earundem regularum ratio reponenda est, sed in

veritatibus idealibus, tam immutabilibus quam rerum essentiae, quarum quidem veritatum scientifica cognitione regulae ipsae inventae sunt. Unde colligitur Dialecticam, cujus scopus est modum docere recte procedendi in ratiocinio in ordine ad legitimitatem consequentiae, esse vere et proprie scientiam, quia rationem praebet scientificam regularum quas tradit; quae quidem regulae, potius quam regulae artis proprie dictae, scientifici ordinis qui mentem informat, quemque mens ipsa ratiocinando detexit, expressio habendae sunt. Itaque syllogismi regulas ex ipsa ratiocinii essentia eruamus. — Ratiocinium consistere diximus in comparatione duorum conceptuum vel terminorum cum tertio qui dicitur medius, ut inde appareat an convenientia sit inter illos duos aut discrepantia. Ex hac porro, ratiocinii definitione sequitur in primis terminos ejus necessario et essentialiter esse tres, nec plures nec pauciores: si enim unum demas, jam non est comparatio; si vero vel unum tantum addas, nihil comparatione conficitur; nam quartus iste terminus, cum in conclusionem locum habere nequeat, id est, unus ex terminis qui cum medio comparantur, esse non possit, quoniam isti necessario sunt duo tantum, subjectum nempe et praedicatum, affirmatione unienda post comparationem aut negatione separanda; cumque praeter subjectum et praedicatum alius locus non supersit quam termini medii quocum illa conclusionis extrema comparantur; non est ubi collocari possit, ille nempe quartus terminus, nisi assumatur tamquam alter medius: hoc autem est impossibile, quia unitas medii essentialis est ratiocinio, siquidem multa non possunt unum fieri nisi per unum, id est, subjectum et praedicatum conclusionis nequeunt affirmatione conjungi vel identificari nisi quatenus ambo idem esse uni tertio comperiantur; si enim cum duobus aut pluribus mediis comparentur, nihil inde pro illorum unione concluditur; nam si supponamus unum medium idem esse subjecto et alterum idem praedicato, adhuc inde non habetur subjecti et praedicati identitas, donec appareat mediorum identitas inter se; verum posita identitate mediorum, jam non quatuor, sed tres tantum sunt termini, quatenus in tantum applicatio mediorum efficax est ad concludendum in quantum ipsa reducuntur ad unum: et revera, sublata hac unitate medii, nihil perspicitur inter subjectum et praedicatum quod virtute comparationis terminorum possit de illis pronuntiari. Si ad probandum ex. gr. animam esse incorruptibilem duo assumo media, spiritualitatem ejus et simplicitatem, nihil certe conficiam stante dualitate mediorum: non enim licet animae tribuere incorruptionem propter ejus simplicitatem ex eo quod spiritualia corruptionem non patiantur, quoniam non omne simplex spirituale est; bene vero tribui potest animae incorruptio propter ejus spiritualitatem ex eo quod simplicia corruptioni non sunt obnoxia,

quoniam omne spirituale simplex est. Unde patet quod tota hujus discursus efficacia ab uno dumtaxat pendet medio, ab eo scilicet quod assumitur ut ratio incorruptionis, quod est simplicitas. Quod autem dictum est de unitate medii in ordine ad conclusionem affirmativam, valet etiam, mutatis mutandis, pro conclusione negativa; nam, ut eodem utamur exemplo, eadem ratione qua tribuitur animae incorruptio, translata negatione a praedicato ad copulam, corruptio ab ea removetur. Non est ergo necesse ut per adductum exemplum iterum hoc evolvamus argumentum ad evincendum pro casu discrepantiae inter extrema conclusionis id ipsum quod probavimus pro casu convenientiae, unitatis nempe termini medii necessitatem. Nihilominus tamen, cum alia sit habitudo inter terminos quando extrema conclusionis per negationem separanda sunt, alia vero quando sunt per affirmationem unienda, satius erit ut etiam pro conclusione negativa unitatis termini medii rationem praebemus. Igitur sicut pro casu convenientiae inter extrema conclusionis diximus ipsa non posse affirmatione conjungi vel identificari nisi quatenus ambo idem esse uni tertio comperiantur; pro casu discrepantiae pariter dicendum est extrema conclusionis non posse ab invicem negatione separari nisi propter diversum modum se habendi ad medium, propterea scilicet quod alterum conveniat cum medio, alterum ab eo discrepet: si enim ambo termino medio vel congruunt vel dissident, nullum ex comparatione discrimen habetur inter ea, et consequenter nequeunt logica legitimitate ab invicem per negationem separari. Similiter ad hanc separationem concludendam necesse est ut cum uno tantum, non cum pluribus mediis, extremorum comparatio fiat; quia ex diversa extremorum habitudine ad unum et idem, non ad res diversas, infertur eorum inter se discrepantia. Hucusque de prima syllogismi regula, seu de necessitate in eo ternarii terminorum numeri. — Secunda regula, quae non permittit terminos in conclusione latius patere quam in praemissis, facilis est intellectu. Nihil enim potest in conclusione affirmari aut negari nisi consequenter a comparatione quae facta est in praemissis; a qua quidem comparatione praescinderetur in conclusione, si aliquis terminus haberet in ea majorem extensionem quam in aliqua ex praemissis, siquidem talis terminus conclusionis jam non esset quoad sensum idem terminus in praemissa cum medio comparatus. Et sic praeterea peccaretur contra primam regulam, qua tres tantum in syllogismo termini praescribuntur. — Nec minori gaudet perspicuitate ratio regulae tertiae, per quam terminus medius a conclusione excluditur. Quomodo enim ad conclusionem terminus ipse pertinebit, cum in tantum habeat rationem medii in quantum ad terminorum comparationem deservit, et ideo ad id assumatur efficiendum quod conclusio jam factum supponit?

Conclusionis enim est extrema quae cum medio comparata jam sunt in praemissis, aut affirmatione conjungere aut negatione separare. — Universalitas demum termini medii, quam inculcat regula quarta, necessaria prorsus est ad ejusdem termini unitatem, et consequenter ad conclusionem ex praemissis derivandam. Nisi enim terminus iste semel saltem sumatur universaliter, poterit sub uno respectu subjecto, et sub altero applicari praedicato; et sic jam non unum, sed duo sunt media, nam licet terminus sit unus materialiter, duplici tamen in sensu adhibetur aut potest adhiberi; et proinde illegitima est consequentia. Dixi autem quod semel saltem terminus medius sumendus est universaliter, quia interdum bis distributive ponitur: sed spectata universalitate medii quae ad concludendum requiritur, semel tantum terminus ipse universaliter adhibetur, ut videre est in syllogismis qui dicuntur primae figurae, quae prae omnibus syllogismi figuris perfectior existit, et ad quam caeterae reducuntur. In hoc syllogismo tertiae figurae — Omnis lapis est substantia: omnis lapis est corpus: ergo aliqua substantia est corpus — terminus medius lapis bis invenitur distributive sumptus, quia bis subjecti munere fungitur in propositione universalis, id exposcente ordine vel dispositione terminorum: sed si terminorum dispositio mutetur, et fiat syllogismus primae figurae dicendo: — Omnis lapis est corpus: aliqua substantia est lapis: ergo aliqua substantia est corpus, — sic terminus medius semel tantum distribuitur. Liquet ergo quod spectata vi syllogismi ad concludendum, non requiritur quod terminus medius plus quam semel distribuatur. Quinimo, cum syllogismus primae figurae, in quo terminus medius est subjectum praemissae majoris et praedicatum minoris affirmativae, sit argumentatio perfectius prae omnibus aliis ad normam rectae ratiocinationis expressa, dicendum est quod juxta rectam rationis processum de essentia ratiocinii est ut terminus medius semel tantum distributive sumatur. Revera syllogismus primae figurae est in quo ratiocinii processus in rigore logico perfecte exhibetur: nam de essentia ratiocinii est ut terminus medius ad notionem subjecti conclusionis pertineat vel ex illa eruatur: unde sequitur terminum medium necessario affirmari de eodem subjecto seu esse praedicatum praemissae minoris affirmativae, et consequenter semel sumi particulariter vel disjunctive: et cum id de quo tamquam de suo scopo mens in ratiocinio inquirat, sit habitudo praedicati ad subjectum conclusionis, haec autem habitudo pendeat, quoad cognitionem nostram, ab habitudine ejusdem praedicati ad terminum medium, sequitur inde praedicatum conclusionis necessario esse quoque praedicatum propositionis cujus subjectum sit terminus medius, qui hoc in loco debet habere totam suam extensionem seu sumi distributive, nam alioquin ex comparatione ejus

cum praedicato nihil deduci posset circa habitudinem ejusdem praedicati ad conclusionis subjectum, posset enim terminus medius ex una parte convenire cum praedicato et ex altera ab eo discrepare. Itaque manifestum est quod juxta rectum rationis processum quem natura ratiocinii postulat, terminus medius semel tantum distribuitur. Verum praeterea ex facta disquisitione aequae patet eundem terminum medium in loco subjecti esse distribuendum; unde colligitur ejusdem necessitatis esse universalitatem termini medii atque universalitatem unius ex praemissis, cum cujusvis propositionis universalitas in subjecti extensione consistat. Haec autem est praemissa universalis quam superius dixi in syllogismo illativo essentialiter requiri tamquam conclusionis fundamentum; fundatur enim conclusio in universalitate termini medii et in comparatione praedicati cum eo, et in his quidem tota consistit ipsa universalis praemissa. Unde sive una praemissa sit universalis et altera particularis, sive ambae sint universales, una tantum ex eis, secundum universalitatem, est conclusionis fundamentum, illa videlicet cujus subjectum est terminus medius. Colligitur denique, ex eadem doctrina super termino medio, quod licet ambae praemissae sint universales, in ordine tamen ad conclusionem et secundum terminorum comparationem praemissa quae non habet pro subjecto terminum medium (in syllogismo primae figurae) semper est particularis comparate ad alteram quae est fundamentum conclusionis: nam in syllogismo proceditur per synthesim, applicando scilicet aliquod universale alicui particulari, id est, id quod dicitur de medio distributive sumpto, subjecto conclusionis; et quamvis subjectum conclusionis in praemissa ejus est subjectum, supponat universaliter, cum tamen aut metaphysice aut saltem logice seu secundum syntheticum ratiocinii processum sit unum ex inferioribus vel particularibus quae terminus medius distributive sumptus seu subjectum alterius praemissae sua universalitate complectitur, propositionis autem extensio per extensionem subjecti mensuretur; cumque praeterea terminus medius, qui in praemissa principali pro tota sua extensione supponit tamquam conclusionis fundamentum, in altera praemissa supponat disjunctive, tamquam attributus alicui sub universalitate sua comprehenso; inde fit ut praemissa minor semper sit particularis, comparate ad alteram, secundum ratiocinii processum. Exemplis haec luculentius explicantur et brevius. En syllogismus cum utraque praemissa universalis: — Omne essentialiter vivens est immortale: omnis anima humana est essentialiter vivens: ergo omnis anima humana est immortalis. — Singulae quidem hujus syllogismi praemissae, si absolute vel solitarie unaquaeque sumatur, vere et proprie universales sunt; nemo tamen non videt subjectum praemissae minoris animam humanam, relate ad subjectum majoris essentialiter

vivens, esse unum ex particularibus sub universalitate ejus comprehensis; et consequenter, cum extensio propositionis per extensionem subjecti mensuretur, praemissam minorem esse particularem comparate ad majorem secundum comparisonem terminorum in ordine ad conclusionem, totamque vim ratiocinii ad concludendum, quod ad terminum medium spectat, in sola universalitate praemissae majoris (nulla scilicet ratione habita universalitatis praemissae minoris) esse reponendam. Contingere autem potest subjectum praemissae minoris tantum habere extensionis, realiter saltem vel metaphysice, quantum inest subjecto majoris, ut si dicam: — Omne risibile est rationale: omnis homo est risibilis: ergo omnis homo est rationalis. — Profecto, si attendatur ad ea quae nobis constant de entis speciebus, tantum se extendit homo quantum risibile: verum praemissa major se habet ad minorem, spectata terminorum comparatione in ordine ad conclusionem, tamquam universalis ad particularem, quoniam terminus medius sic se habet ad subjectum aequalis extensionis cum eo sicut se haberet ad aliud extensionis minoris, logice namque seu secundum vim argumentationis non consideratur illud subjectum nisi tamquam unum ex particularibus quae universalitate termini medii continentur; nec aliter sane potest legitima esse illatio, utpote quae per processum syntheticum obtinetur, id est, per applicationem universalis ad particulare. Sic ergo in syllogismo novissime proposito omne risibile significat quidquid risibile sit, nihil determinando; haec autem universalitas major est logice quam universalitas cujuslibet subjecti de quo terminus risibile tamquam de aliquo determinato particulariter praedicetur: porro subjectum conclusionis secundum suam logicam relationem ad terminum medium, qui de subjecto praedicatus supponit particulariter, tamquam quoddam particulare est, ejusdem termini medii universalitate contentum. — Regulae quae hucusque explicatae sunt, ad terminos spectant; quatuor vero quae supersunt, propositiones respiciunt, quae terminis iisdem conflantur, et in quatuor quidem praecedentes tamquam earum corollaria de facili resolvuntur. Nam de regula quinta, quae utraque praemissa negante, illationem dicit esse nullam, sufficiens ratio invenitur in explicatione regulae primae, ubi probatur quod ut conclusio sit negativa, necesse est aliud extremum convenire medio, aliud non convenire, seu, quod idem est, aliam praemissam esse affirmativam, aliam negativam; ut autem conclusio sit affirmativa, utrumque extremum debere medio congruere, quod utraque praemissa affirmante verificatur. Et per haec patet quoque ratio regulae sextae, juxta quam ex praemissis affirmantibus non inferitur conclusio negans. Item de nullitate illationis, deficiente praemissa universali, juxta praescriptum regulae septimae, satis dictum est cum de universalitate

termini medii ageremus. Denique id quod praescribit regula octava, ut scilicet pejorem semper sequatur conclusio partem, id est, ut conclusio sit negativa, si talis est una ex praemissis, et praemissam minorem extensione non superet; satis declaratum est quoad primum in expositione regulae primae, quoad alterum vero ex regula tertia inferitur, per quam terminus medius a conclusione excluditur: propositio enim syllogismi a qua terminus medius excluditur, aut est particularis simpliciter seu absolute, aut si est universalis simpliciter, non tamen habet, logice saltem, extensionem illius universalitatis quae est illationis fundamentum, sed comparate ad hanc universalitatem se habet tamquam propositio particularis, nam syllogismi efficacia ad concludendum in universalitate fundatur termini medii. Cum igitur una ex praemissis eam habeat universalitatem in qua syllogismi fundatur illatio, manifestum est non posse conclusionem praemissae majori extensione esse aequalem, sed necessario esse, logice saltem, inferiorem; et sic verificatur quod pejorem sequitur semper conclusio partem; conclusio enim enuntiat id quod per syllogismum probatur, hoc autem spectat ad particulare cui universale, juxta syntheticum syllogismi processum, applicatur.¹⁾

¹⁾ Dixi nomine peioris partis intelligi in regula syllogismi octava negationem et particularitatem propositionis, et hoc, meo saltem iudicio, tenendum est in sensu exclusivo, id est, regulam hanc ad solas referri particularitatem et negationem, nequaquam vero ad certitudinem propositionum, vel veritatem, vel quamlibet aliam qualitatem earum. Et ratio est, quia regulae syllogismi non spectant nisi legitimitatem consequentiae, consequentia autem ab eo utique pendet quod una vel altera praemissa affirmativa sit vel negativa, universalis vel particularis; sed praescindit omnino a reliquis propositionum qualitibus. Qualitates conclusionis, ut conclusionis, absdubio pendent omnes a qualitibus praemissarum, sed aliter et aliter. Quod conclusio sit particularis, saltem logice seu comparate ad praemissam majorem; item quod sit negativa, si altera praemissarum est negativa, utrumque est, uti ostendimus, de essentia illationis, et ex processu ratiocinii, qualescumque sint aliunde syllogismi propositiones, necessario resultat: veritati autem conclusionis, certitudini, caeterisque attributis vel qualitibus ejus aliae causae assignandae sunt. Et primo quidem quoad veritatem considerandum est posse conclusionem esse veram, etsi per accidens, non obstante falsitate unius ex praemissis et legitimitate consequentiae, ut si dicamus: — nullus martyr est apostolus: sed S. Polycarpus fuit martyr: ergo S. Polycarpus non fuit apostolus. — Certe conclusio haec non est vera ut conclusio, quamvis est conclusio legitima, nam conclusionis fundamentum est falsum; est autem vera, spectata ut propositio independens a syllogismo seu non sub ratione conclusionis, quia enuntiat veritatem facti. Per quod ostenditur posse dari legitimam consequentiam seu servari regulas syllogismi quin conclusio eatenus pejorem sequatur partem quatenus in eam derivetur falsitas unius ex praemissis. Unde regula de qua agimus, quoad propositionum veritatem non habet applicationem. Ratio autem cur stante legitimitate consequentiae, falsitas unius ex praemissis in conclusionem non necessario redundet, utique vero redundet particularitas et negatio, haec est, quia praemissae quoad comparationem trium terminorum quam postulat legitima consequentia, indifferenter se habent ad veritatem et falsitatem, nequaquam vero ad particularitatem et negationem; et ideo possunt esse, salva consequentia, vel ambae verae

f) Nunc vero quae de essentia ratiocinii in syllogismo esse diximus secundum rectum rationis processum, qui in syllogismo primae figurae perfecte exhibetur, quo facilius memoria teneantur, paucis accipito. De essentia ratiocinii est 1. ut tres tantum sint quoad sensum termini ad invicem comparandi. 2. Ut terminus

vel ambae falsae, vel una vera et altera falsa, minime vero ambae particulares aut negativae. Nihilominus, quamvis attendendo ad solam legitimitatem consequentiae conclusio potest esse vera, etsi alterutra praemissa vel ambae sint falsae; sic tamen erit vera materialiter tantum inspecta, vel ut propositio solitarie sumpta, juxta dicta supra circa adductum exemplum, non ut conclusio formaliter seu virtute illationis, quoniam aliud est consequentiam esse legitimam, aliud vero conclusionem esse veram virtute consequentiae. En igitur ratio cur supra dixerim »qualitates conclusionis, ut conclusionis, pendere omnes a qualitatibus praemissarum, sed aliter et aliter.« Quod enim conclusio, ut conclusio, affirmativa sit vel negativa, aut majorem vel minorem habeat extensionem, haec ab iisdem qualitatibus pendunt praemissarum secundum legitimitatem consequentiae tantum: quod autem conclusio sit vera ut conclusio, hoc pendet a veritate utriusque praemissae; quia si non est verum id quod dicitur de aliquo ex extremis relate ad medium, neque erit verum, virtute consequentiae, id quod conclusio enuntiat de extremis ad invicem comparatis, quia in tali casu nulla prorsus est, quoad veritatem, trium terminorum ad invicem comparatio. Data autem veritate utriusque praemissae simulque legitimitate consequentiae, conclusio non sequitur quoad veritatem nec potiore nec pejorem partem, quia propositionem aliquam esse veram consistit in indivisibili seu non admittit magis et minus, et proinde neque una praemissa potest esse verior alia, neque conclusio verior aut minus vera secundum quod veritas ejus, quatenus conclusio est, continetur in veritate praemissarum. Sed aliud est de certitudine dicendum. Nam certitudo consistit quidem in indivisibili quatenus excludit dubium; sed admittit magis et minus ex parte evidentiae unde nascitur. Cum autem evidentia sit causa certitudinis, evidentiam in syllogismo, sicut certitudinem, distinguere oportet secundum consequentiam seu nexum conclusionis cum praemissis et secundum habitudinem praedicati ad subjectum in unaquaque propositione; potest namque certa esse et evidens consequentia, quamvis praemissae sint tantum probabiles, aut etiam evidenter falsae; quo in casu conclusio nequit esse certa et evidens, ut conclusio est, quamvis forte certa vel evidens sit solitarie sumpta, ut supra diximus de conclusionis veritate; quidquid enim conclusio habet ut conclusio, in praemissis contineatur oportet; id autem quod conclusio enuntiat, non est quasi compositum ex duabus enuntiationibus praemissarum, sed est unum iudicium, simplex, indivisibile secundum unitatem veritatis, certae aut probabilis, quae in habitudine consistit praedicati ad subjectum; quod nihilominus iudicium idem est duobus iudiciis praemissarum, per modum unius acceptis, secundum comparisonem extremorum cum medio; unde assensus quem intellectus praebet conclusioni, non est duplex, sed unicus, non est quasi summa assensuum duabus praemissis, sed est assensus praestitus propositioni quae fundatur tamquam in uno indivisibili, in duplici iudicio praemissarum, et consequenter si non est firmus assensus in utraque praemissa, neque in conclusione firmus erit, seu si est tantum probabilis habitudo unius ex extremis ad medium, nihil certi pronuntiare licet in conclusione de habitudine praedicati ad subjectum; et similiter si major sit certitudo in una praemissa quam in alia, pejorem quoque sequetur conclusio partem, quoniam omnino necesse est ut evidentia et certitudo consequentis, tamquam consequentis, non sit major quam in aliqua ex praemissis, in quibus singulis enuntiat habitudo unius ex extremis ad medium, a qua pendet habitudo praedicati ad subjectum. Non tamen huc spectat regula syllogismi octava, quia certitudo vel evidentia secundum quam pejorem sequitur conclusio partem, consequentis est tantum, non consequentiae, quae praescindit ab ea.

medius affirmetur de subjecto conclusionis. 3. Ut praedicatum conclusionis affirmetur vel negetur de medio prout respective affirmandum sit vel negandum de subjecto. 4. Ut terminus medius distributive sumatur tamquam subjectum praemissae majoris, disjunctive autem tamquam praedicatum praemissae minoris. 5. Ut

Praeter recensitas propositionum qualitates alia notatu valde digna occurrit in Sacra Theologia, supernaturalitas nempe aut revelatio, de qua operae pretium duco investigare utrum ab aliqua ex praemissis in conclusionem derivetur. Sciendum est itaque omnem scientiam in suis conclusionibus positam esse, et consequenter cum Sacra Theologia sit scientia supernaturalis, supernaturales quoque esse debent conclusiones ejus. Contingit autem non raro in theologica demonstratione ut una tantum ex praemissis sit supernaturalis vel revelata, et altera naturalis: cum igitur conclusio semper sit supernaturalis vel revelata, alioquin ad S. Theologiam non pertineret, concludendum est hanc propositionis qualitatem, quod scilicet supernaturalis sit vel revelata, semper a qualibet ex praemissis ad conclusionem derivari: et ideo respectu ejusdem qualitatis dici nequit quod pejorem sequatur conclusio partem. Et sane, sive praemissa major sit revelata, sive minor, conclusio quoque revelata semper evadit. Nam si praemissa major est revelata, ut si dicam: »omnes infantes decedentes sine baptismo visione Dei beatifica privantur: hic infans decessit sine baptismo: ergo visione beatifica privatur,« praedicatum praemissae majoris, quod est privatio visionis beatificae, quodque una cum subjecto ejusdem majoris de revelatione sumitur, nequit subjecto conclusionis convenire nisi istud cum subjecto majoris identificetur tamquam unum ex particularibus quae sub universalitate illius, quod est terminus medius de revelatione sumptus, comprehenduntur. Unde habemus quod praedicatum et subjectum conclusionis sunt de revelatione: praedicatum quidem, cum sit idem praedicatum majoris; subjectum vero, secundum suam relationem ad praedicatum et ad medium, ita ut quamvis non est de revelatione quod hic infans decessit sine baptismo, sit tamen veritas revelata quod hic infans decedens sine baptismo privatur visione beatifica, quia revelata est connexio inter praedicatum et medium, quae enuntiat in praemissa majori, quod enim enuntiat in propositione universali vera, necessario verificatur in singulis particularibus vel inferioribus ejus. Deinde si praemissa major est naturalis, et minor revelata, etiam sic conclusio revelata evadit, ut in hoc syllogismo: »duabus naturis spiritualibus duae respondent voluntates: sed in Christo duae sunt naturae spirituales, divinae nempe et anima humana: ergo in Christo duae sunt voluntates, divina et humana.« Equidem hic non est revelata connexio inter praedicatum et medium, nimirum inter habere duas voluntates et habere duas spirituales naturas, sed naturaliter cognita; sed nihilominus, cum sit revelatum verificari in Christo id quod significat terminus medius, consequenter vel virtualiter est etiam revelatum convenire Christo id quod significatur per praedicatum, siquidem certa est et evidens necessaria connexio inter utrumque terminum. Differunt ergo duo adhibiti syllogismi in eo quod in primo est revelata connexio inter praedicatum et medium, factum vero cui connexio illa applicatur, naturaliter cognitum; in altero autem e converso, veritas facti est revelata, et connexio inter praedicatum et medium naturaliter nota: sed in utroque, ut probatum est, conclusio materialiter sumpta, id est, non secundum illationem, sed secundum veritatem quam enuntiat, est supernaturalis vel revelata, quia in revelatione, virtualiter saltem, continetur. Non ergo sequitur conclusio pejorem partem in demonstratione theologica, ut sit naturalis quum talis est una ex praemissis. Dixi autem conclusionem theologicam virtualiter saltem in revelatione contineri, quia quando praemissa major est revelata, ut in primo ex adductis exemplis, syllogismus forte explicativus vel expositorius potius habendus sit quam illativus; et in hac hypothesi conclusio non virtualiter sed formaliter revelata dicenda est. Quamvis autem conclusio theologica materialiter sumpta seu secundum

subjectum et praedicatum conclusionis sint respective subjectum minoris et praedicatum majoris. 6. Ut una adsit propositio universalis, quae secundum suam universalitatem sit fundamentum illationis: et haec propositio est praemissa major. 7. Ut praemissa minor et conclusio, etiam quum in seipsis seu absolute universales

veritatem quam enuntiat, est supernaturalis, verum accepta formaliter ut conclusio, seu secundum illationem ejus ex praemissis per veram et proprie dictam demonstrationem, est naturalis. Unde fit ut non sit tantae dignitatis quanta propositio formaliter revelata, nisi tamen ab Ecclesia proponatur ut dogma fidei: talis namque conclusionis veritas in tantum creditur ab auctoritate Dei revelantis in quantum per ratiocinium ex veritate vel propositione formaliter revelata evidenter deducitur; et ideo, proprie loquendo, propositio formaliter revelata, non alia per ratiocinium deducta, per fidem tenetur, illi namque mens assentitur ob auctoritatem Dei, haec autem, supposita certitudine de veritate alterius, agnoscitur ob rationis evidentiam, ob evidentiam, inquam, non veritatis qualis in se est, si agitur de mysteriis proprie dictis, sed connexionis conclusionis cum veritate vel propositione formaliter revelata, secundum conceptus nobis connaturales quibus propositiones constant. Igitur conclusio theologica (conclusio proprie dicta, in syllogismo scilicet illativo) potioris est conditionis quam praemissa naturalis, quia participat de dignitate praemissae revelatae; inferioris autem dignitatis quam praemissa revelata, quoniam dependet saltem ab evidentia consequentiae, aut etiam a praemissa naturali, non enim potest nobis constare veritas conclusionis, nisi et certa sit praemissa naturalis, si adsit, et consequentia evidenter legitima. Unde etiam in casu quo ambae praemissae sint revelatae, si syllogismus sit illativus, conclusio erit naturalis secundum suam dependentiam ab evidentia consequentiae, et ideo minoris dignitatis quam quaelibet praemissa. Itaque, praeterquam quod legitimitas consequentiae praescindit a propositionis supernaturalitate vel revelatione, et ideo regula syllogismi octava hanc propositionis qualitatem non comprehendit, patet ex enucleatis circa qualitatem eandem quod conclusio theologica non sequitur pejorem partem, si una praemissa est supernaturalis et altera naturalis, sed de utraque participat; si autem utraque praemissa sit supernaturalis, conclusio non est inferioris dignitatis nisi secundum naturalem evidentiam consequentiae, et secundum hoc dici nequit potius aut pejorem sequi conclusio partem, quia non pertinet illud ad aliquam ex praemissis in particulari, sed est quid indivisibile et de essentia ratiocinii. — Ex dictis de conclusione theologica colligere licet triplicem certitudinem distingui posse in ea. Certa enim esse potest dialectice, quatenus videlicet evidenter infertur ex praemissis, abstrahendo ab earum qualitatibus et vel ipsa earum certitudine; et hujusmodi certitudo conclusionis necessaria est in quolibet syllogismo theologico illativo, cum sine illa constare non possit enuntiatum conclusionis in revelatione virtualiter contineri, quamvis praemissae sint ambae certae, imo et ambae revelatae. Necessaria, inquam, est hujusmodi certitudo conclusionis, sed non sufficiens; nam nihil prodest consequentiae legitimitatem cognoscere, si non constat certitudo praemissarum, a qua pendet certitudo consequentis, ut consequentis. Oportet igitur ut conclusio theologica sit etiam certa secundum id quod ipsa enuntiat, et quidem dependenter a certitudine praemissarum. Et secundum hoc conclusio est certa metaphysice, vel physice vel moraliter, prout participat de certitudine praemissae naturalis, si haec adsit: si autem ambae praemissae sint revelatae, adhuc certitudo conclusionis est naturalis vel philosophica secundum naturalem evidentiam quoad conceptus nobis connaturales quibus constant vel intelliguntur a nobis propositiones revelatae. Denique quatenus id quod conclusio enuntiat, in revelatione virtualiter continetur, certitudo conclusionis est supernaturalis, quia per fidem habetur. Sed in tantum nobis constat de hac dignitate conclusionis in quantum haec evidenter deducitur ex praemissis certis; et ideo certitudo con-

sunt, comparate tamen ad praemissam majorem sint particulares, logice saltem, seu secundum terminorum comparationem. 8. Ut conclusio denique ejusdem extensionis sit ac praemissa minor: et negativa evadat, una ex praemissis negante.

Die Reliquien des hl. Emmeram.

Von G. Anton Weber.

(Schluß zu Heft I. 1906, S. 38—58.)

IV.

Betrachten wir in Kürze die Geschichte der Reliquien des hl. Emmeram.

Die Leiche des hl. Martyrers wurde zuerst in der Peterskirche zu Aschheim beigesetzt, die abgeschnittenen Glieder ausgenommen, welche durch zwei Reiter entfernt worden waren; jedoch ist der Ort ihrer Beisetzung unbekannt. Vgl. die Vita Haimhrammi, Mausoloeum, 3. A., S. 22. Aber die Stelle von Haimhramms ersten Grabe ist durch nichts mehr gekennzeichnet.

clusionis, ut a certis praemissis deductae, prior est, ordine logico, certitudine ipsius, ut veritatis virtualiter revelatae. Habes itaque in syllogismo theologico certitudinem consequentiae, quae praescindit a certitudine praemissarum; et certitudinem consequentis ut consequentis, quae a praemissis in illud derivatur, et est partim naturalis, partim supernaturalis. Si ex eo quod in Christo v. g. duae sunt juxta revelationem naturae spirituales, divinitas nempe et anima, duas in eo infero voluntates, conclusio haec, ut virtualiter revelata, certitudinem habet quam divina parit auctoritas; formaliter vero seu ut conclusio reduplicative spectata, certa est ex evidentia naturali qua cognosco quid sit natura spiritualis, quidque voluntas, et qualis sit inter utramque connexio.

Distinguenda ergo sunt in syllogismo, ut paucis omnia quae in hac nota elucubravi, comprehendam, legitima consequentia, propositionum materia seu natura ejus quod quaelibet propositio enuntiat, et certitudo cognitionis nostrae. Quoad legitimitatem consequentiae attendendum est ad propositionum extensionem, atque ad earum affirmationem vel negationem: et huc spectat regula syllogismi octava de qua disserimus. Quoad propositionum materiam conclusio de utraque participiat praemissa, quoniam subjectum et praedicatum conclusionis sunt extrema quae comparantur cum medio in praemissis. Ad hoc declarandum ea deserviunt quae de qualitate conclusionis theologicae disputavimus, secundum suam dependentiam a praemissa revelata et a praemissa naturali. Quoad certitudinem denique cognitionis nostrae conclusio debiliorem semper sequitur partem, uti ostensum est. Nec obstat quod certitudinem supernaturalem, quam scilicet per fidem habemus, quaeque omni naturali certitudini praestat, conclusioni theologicae tribuendam esse dixi; nam assensus fidei, proprie loquendo, non praebet nisi praemissae formaliter revelatae, et proinde conclusio non est certa certitudine fidei quatenus conclusio est, sed quatenus in revelatione virtualiter continetur, quod per naturalem cognoscimus evidentiam. Quod autem conclusio theologica in revelatione virtualiter continetur, hoc pertinet ad propositionum naturam, secundum quam diximus conclusionem de utraque participare praemissa; non ad consequentiam, a qua conclusio habet quod conclusio sit.